



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

30. De Paschate, ejusque Octava, tempore Paschali, Litaniis maj.
minoribus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

in ultimo triduo sine initio inchoatur Matutinum, aliæque horæ, & sine solito non clauduntur. Quia Christus moritur rerum omnium e & w.

30. *De Paschate, ejusque Octava, tempore Paschali, Litanis maj. minoribus.*

NOto ex Gav. l. c. à c. 14. sequentia. 1^{mo} Matutinum Paschale constat ex tribus Psalmis & tribus Lectionibus, vel quia hoc numero significantur tres virtutes Theologicæ in hoc mysterio maximè vigentes. Vel quia tridua sepultura recolitur, ex qua resurrectio ortum habuit. Vel dicuntur tres Psalmi, quia in nomine SS. Trinitatis celebratur Baptisma hoc tempore pro Catechumenis. Et tres tantum Lectiones, quia pauci tunc adhuc Prædicatores erant. 2^{do}. Non dicitur *Hymnus* ad ullas horas, quia tempus Paschale significat statum Beatorum, quorum *Hymnus* est *Alleluja*. Sicut nec *Capitula*, quia in statu Beatorum non est locus exhortationi, quæ continetur in Capitulis. Et hinc consequenter etiam non dicitur *Responsorium* breve. Nam in horis minoribus correlativa sunt *Capitulum* & *Responsorium* breve; sicut exhortatio, quæ per *Capitulum*, & opus bonum, quod per *Responsorium* significatur. Non dicuntur *Versus*, nisi in *Nocturnis*, ob eandem causam, cum hi significant excitationem animorum, & conversionem ad Deum. Quibus stimulis non indigent Beati. In *Nocturnis* dicuntur *Versus*, quia in nocte timor adest.

adest. Et utcumque tempore Paschali nos viatores representemus statum Beatorum, representamus tamen illum tantum ex parte, & adhuc imperfectè, & ob nocturnam somnolentiam cum versu fugandus est animorum torpor. Dicitur autem loco versuum in Laudibus aliisque horis *Hac dies, quam fecit, &c.* qui Versus desumptus est ex Psalmo, cui titulus *Alleluja*, in signum magnitudinis lætitiæ, & quod in cælo Beati sibi invicem congaudeant & congratulentur. Etiam non dicitur ad Primam Symbolum S. Athanasii, quia in statu Beatorum, qui representantur in Christi Resurrectione, non est fides. In Dominica tamen in *Albis* quasi crescentium arborum frondes multiplicantur Psalmi, & recoluntur mores boni diversorum bonorum operum per plures Psalmos & Lectiones. Dicuntur etiam plures Psalmi, præsertim Feriales sub unâ Antiph. *Alleluja*. Quia sicut, ut jam dictum, multiplicantur Psalmi velut arborum frondes, ita ab una Antiphona hac quasi radice unicâ congruè pendent. Fit tempore Paschali commemoratio de sola Cruce, quia Christus in gloriam Crucis retinuit vulnera in ea sibi inflicta, quæ his diebus, ut docent SS. Evangelia, passim Apostolis aliisque ostendit. Demum in Dominicis post Pascha ex Decreto Gelasii leguntur acta & scripta Apostolica, quia Apostoli voce & opere testimonium reddiderunt Resurrectionis JESU Christi. 3^{tiò}. Si occurrant Litiariæ majores in Paschate. Quod factum Anno 1666. & quando Littera Dominicalis est C & Epa-

Epacta 24. vel 25ta. Tunc ea transferendæ sunt in Fer. 3. Paschatis. Transferuntur autem in diem festum, ut populus commodius adsit. Non habentur in die Paschatis, ne populus impediatur Communionem Paschali, nec tritari videatur in tanta solemnitate, & primo quidem Paschatis die adhibito colore violaceo, & Missâ cantatâ de luctu. *Litania* tam multum significat ac *deprecatio*. Tempore Paschali occurrunt *Litaniae majores* festo S. Marci (licet contingat festum cum ejus Missa transferri) & *minores*. *Majores* etiam *rogationes* dictæ. Eas instituit Romæ S. Greg. M. [licet alibi ante ipsum fuerint] ad S. Petrum ob pestem inguinariam, ex qua tunc moriebantur plurimi. Dictæ etiam sunt hæ *Litaniæ Processiones nigrae*. Quia in signum mœroris & pœnitentiæ homines nigris vestibus induti procedebant, Cruces item & Altaria nigris coloribus velabantur. Dicta etiam est *Processio septiformis*. Quia S. Greg. eam distribuit ad septem Ecclesias in septem ordines Clericorum, Religiosorum, Monialium, Puero- rum, Adolescentum, Viduarum & continen- tium, demum Conjugatorum. De minoribus *Litaniis* V. c. 3. §. 5. n. 13.

31. *De Ascensione, Pentecoste.*

Noto ex Gav. Tom. 2. Sect. 6. à c. 17. se-
quentia. 1mo. Vigilia Ascensionis non
habet jejunium, quia tempus Paschale est. Hinc
etiam admittit *Te Deum*. In Ascensionis festo
dicitur Antiphona ad quemlibet Psalmum, quia
festum